

Carmina Burana 126

Hūc usque, mē miseram,

Rem bene cēlāveram

Et amāvī callidē.

Rēs mea tandem patuit,

Nam venter intumuit,

Partus īnstat gravidāe.

Hinc māter mē verberat,

Hinc pater improperat,

Ambō tractant asperē.

Sōla domī sedeō,

Ēgredī nōn audeō

Nec inpalam lūdere.

Cum foris ēgredior,

Ā cūnctīs īnspicior,

Quasi mōnstrum fuerim.

huc usque = ad hoc tempus

me miseram = O, ego sum misera!

cēlō, cēlāre, cēlāvī, cēlātum = facere
ut non possit videri

callidē > callidus = doctus, sapiens

pateo, patere, patui = apertum esse;
potest videri

venter = uterus

intumesco, intumescere, intumui =
crescere; fieri maior et maior

partus, us, m. = foetus; infans in
ventre

gravidā = habens infantem in ventre

hinc = propter hoc; ob hanc rem

impropero, improperare =
reprehendere

tracto, tractare = tangere; trahere;
reprehendere

aspere = sine amore

inpalam = palam; foris; in publico

cunctus, a, um = omnis

īnspicio, īnspicere = aspicere

quasi = tamquam

fuerim = perfect subjunctive > sum
"I were"

Cum vident hunc uterum,

Alter pulsat alterum,

Silent, dum trānsierim.

Semper pulsant cubitō,

Mē dēsignant digitō,

Ac sī mīrum fēcerim.

Nūtibus mē indicant,

Dignam rogō iūdicant,

Quod semel peccāverim.

Quid percurram singula?

Ego sum in fābulā

Et in ōre omnium.

Ex eō vim patior,

Iam dolōre morior,

Semper sum in lacrimīs.

uterus, i, m. = venter

trānsierim > trans-eo, trans-ire



cubitus, i, m. =

designo, designare

ac si = tamquam; ut si

mirum, i, n. = res mirabilis; monstrum

fecerim = perfect subjunctive > facio



nutus, ūs, m. =

pecco, peccare, peccavi, peccatum =

facere malum

quid = cur

percurro, percurrere = numerare

vis, f. = impetus; potestas

morior, mori, mortuus sum

Hoc dolōrem cumulat,
Quod amīcus exulat
Propter illud paululum.

Ob patris saevitiam
Recessit in Franciam
Ā finibus ultimīs.

Sum in trīstitiā
Dē eius absentīā
In dolōris cumulum.

In manuscripta haec verba praecedunt hoc carmen:

Tempus īstat flōridum,
cantus crēscit āvium,
tellūs dat sōlācium.
Eyā!
qualia sunt amōris gaudia

cumulo, cumulare =



cumulus, i, m.

exulo, exulare = necesse est vivere
procul a patria tua
paululum = nimis parvum; res minima

saevitia, ae, f. > saevus, a, um

ultimus a, um = postremus

tristitia, ae, f. > tristis

absentia, ae, f. > absum, abesse

floridus, a, um > flos, floris

cantus, ūs, m. = carmen

tellus, telluris, f. = terra

solacium, i, n.

